



# **Disputatio juridica inauguralis continens illustriores ex variis juris partibus decerptas positiones**

<https://hdl.handle.net/1874/347253>

DISPUTATIO JURIDICA  
IN A U G U R A L I S  
CONTINENS

40.

Illustriores ex variis Juris parti-  
bus decerptas positiones,

Q U A M,

ANNUENTE DIVINA GRATIA

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. HERMANNI van HALEN,**

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inelytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiqûe Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

**PRO GRADU DOCTORATUS**

Summisque in **UTROQUE JURE** honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subicit*

**H. S. BERNAIGE, BREDÆ-BRABANTUS.**

*A. D. 22. Novembris, horis locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA,** Academiæ  
Typographi, clō Ibc LXXXIX.

40

DISPUTATIO JURIDICA  
IN ACADEMIA  
CONTRINENS

Illustriores ex variis Juris parti-  
bus descriptas positiones


D. HERMANNI VAN HALLEN

22. Theologiae Doctor, et Ordinarius Professor in hujusmodi  
Universitate Gronovana, Verisignus Davini hujusmodi in

IN E O N

PRO GRADU DOCTORATUS  
summissus in UTROQUE JURE hujusmodi & Privilegio

H. E. REYNOLDS, H. E. REYNOLDS



TRAJECTI ad RHENUM

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academici  
Typographi, cl. 1779



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
CONTINENS

Illustres juris quæstiones.

CAPUT I.



Nceps & ob varias D. D. distinctiones  
difficilis est quæstio, an Princeps so-  
lutus, & quibus sit solutus legibus?  
ego illis assentior qui statuunt Princi-  
pem legibus divinis naturæ & gen-  
tium, ac regni fundamentalibus astri-  
ctum; tres species priores extra om-  
nem dubitationis aleam positæ viden-  
tur; legibus enim divinis & naturæ  
cum omnes homines subjiciantur, quatenus sunt homines na-  
ti, omnino efficitur principem etiam illis legibus teneri. *l. 32. ff. de R. J.* legibus gentium, quatenus aliis gentibus non im-  
perat, & ad id quod naturalis ratio inter omnes constituit ho-  
mines, quodque apud omnes vel saltem moratiores pææque  
custoditur, tenetur; legibus tandem imperii fundamentali-  
bus, quod in eas regnum ineuntes Principes astrictissime jura-  
re solent, obligatus est. Leges autem civiles quod spectat,  
dicendum videtur Principem iis nullo modo obstringi. *l. 31. ff. de legib. SCtis & c. l. 26. Cod. de donat. inter vir. & uno.* etenim  
Princeps qui absoluta jura Majestatis habet *Nov. 105. c. 2. fin.* nihil supra se ceruere potest, neque hominem, neque  
legem.

## CAPUT II.

**P**incipales obligationes in creditorum securitatem cautionibus solent firmari, interventu præcipuè rei, ut pignoris, aut personæ, ut fidejussoris, qui, quominus arctiori vinculo constringatur, nil prohibet; adeoque pro naturaliter obligato, fidejussorem recte intervenire dicitur §. 1. *inst. de fidejuss.* Hinc dubitatur, an fidejussor, qui se in majorem summam obligavit, quam debet ipse reus principalis, non saltem teneatur in concurrentem summam, an vero inutilis sit tota obligatio? ego ipsum teneri in concurrentem puto, cum in eam summam quam principalis debet, utique consenserit, dum majori summæ inest Minor, l. 1. §. 4. *ff. de V. O. & l. 83. §. 3. ff. eod.* ut & actus semper quantum pote interpretandi, ut magis valeant, quam pereant, quod hic facillime fieri potest. Idem plane in stipulatione, ut ex *d. d. ll.* (qualis etiam est fidejussio) idem in constituto l. 11. §. 1. *ff. de const. pec. in Mandato l. 33. ff. Mandati*, obtinet: Nec est, ut hoc tantum fallat in fidejussionibus ob l. 8. §. 7. *ff. de fidej. & §. 5. inst. eod.* quin abunde patet & in *d. l. & d. §.* mentionem fieri non quantitatis sed qualitatis respectu, quæ non ut quantitas dividua, sed sui natura est individua. l. 1. §. 3. *ff. de V. O.*

## CAPUT III.

**C**um in dubitati juris sit, quod nemo cogatur præcise ad factum merum. l. 13. §. 1. *ff. de re jud. l. 72. princ. ff. V. O.* Quæstio satis gravis est, an venditor, præcise teneatur rem tradere, si ejus tradendi, facultatem habet? licet sint multi. D. D. quin venditoris favorem nituntur, contraria tamen opinio plures habet auctores, venditorem nimirum rem tradere teneri, & præcise quidem si possit, nec solvendo id quid Emptoris interest, obligationi satisfacere: quos sequor



sequor propter §. 1. *inst. de emt. vend.* §. 2. *inst. de donat. l. 11. §. 2. ff. de act. emt. l. 50. eod.* Naturali namque æquitati inconueniens est admodum, venditorem non æque obstrictum esse ad tradendam rem, quam emtorem ad adfoluendum præteritium; emtorem rei periculum sustinere, rem tamen consequi non posse; contrahentium utique conditio par esse debet. *l. 3. §. 2. ff. Mandati.* Invito porro creditori aliud pro alio solvi non potest *l. 2. §. 1. ff. si certum pet.* prout quidque contractum est, ita & solvi debet. *l. 80. ff. de solut.* Nec traditio denique ad merum vel nudum pactum referri potest, cum hæc ad quam venditor tenetur, in se habet inclusam dationem; adeoque venditor non tantum ad tradendum, sed etiam ad dandum, i. e. dominium transferendum tenetur. *l. 11. §. 2. ff. de act. emt. l. 80. §. ult. ff. de contrah. emt.* Vid. etiam *l. 98. §. 6. ff. de solut. l. 52. ff. de V. O.*

C A P U T I V.

**P**erfecta emtione & venditione, quod fit simul atque de præratio conuenit, periculum rei venditæ licet nondum traditæ statim ad emptorem pertinet, *l. 5. §. 2. ff. de rescind. vend. §. 3. inst. de emt. vend. l. 8. pr. ff. de peric. & commodo rei vend. emtæ enim rei uti omne commodum ad emtorem pertinet. l. 3. §. 20. ff. de act. empt.* Ita quoque ad eundem spectat omne periculum; cum nihil æquius sit, incommoda cuiusque rei, ipsum sequi, quem sequuntur commoda. *l. 10. ff. de R. J.* adhæc venditor est speciei debitor, qui liberatur rei interitu. *l. 23. ff. de V. O.*

C A P U T V.

**M**andantur negotia honesta & licita, rei enim turpis nullum est Mandatium, nec inter Mandantem & Mandatarium actio datur. *§. 7. inst. de Mandato, l. 12. §. 11. l. 23. §. 6. ff. Mandati.* Inde si quis aliquem vulnerari Mandet, &



## 6 DISPUTATIO JURIDICA

ex vulnere mors sequatur, utrum Mandans ordinaria pœna legis Corneliæ plectendus sit? Intricata admodum & difficillimæ resolutionis quæstio est. De Jure Canonico quin teneatur eadem pœna, qua alios homicidas Canones afficere solent non dubitatur. De Jure vero Civili acerrimè inter se conflictantur interprètes. Sententiam negativam ut benigniorem ac juri convenientiorem amplector: dum fines Mandati strictissime sunt custodiendi, in quo enim Mandatarius excessit Mandati limites, id non Mandatum intelligitur, nec Mandantem obliget. *l. 5. ff. Mandati.* dein in *l. Cornelia dolus tantum* punitur, quem Mandantem vulneris non habuisse abunde patet; cum primis si alapis tantum, vel flagellis aut baculis aliquem cædi jusserit.

### C A P U T VI.

**T**Ransactio cum sit super re dubia & lite in certa conventio *l. 9. §. ult. ff. de transact.* non satis liquet inter D. D. an de publicis criminibus non capitalibus transigere liceat? nos illicitam esse arbitramur per *l. 18. Cod. h. t. cum* accusator, qui transigendo desistit ab accusatione, incidit in pœnam Scti Turpilliani, *l. 15. perin. ff. ad Sctum, Turpill. l. 7. §. 1. l. 1. §. 6. 7. ff. eod.* reus vero qui in hisce transigit, vel delatorem corrumpit, pro confesso & convicto habetur. *l. ult. ff. de prævaricat. l. 34. ff. de jure fisci.*

### C A P U T VII.

**D**E criminibus capitalibus vero, pœnam sanguinis irrogantibus, transactionem permissam esse cenleo per *d. l. 18. Cod. de transact. junct. l. 1. ff. de bonis eorum qui ante sent.* non jure aliquo pactionis, sed sola miserationis intuitu; ignoscendum enim est ei, qui sanguinem suum qualitercumque redemptum voluit. Hoc ergo impune admissio in reo, ut se transigat, nec pro convicto habeatur, *l. ult. ff. de prævaricat.*



*ricat.* in consequentiam etiam licitum debuit esse actori, ne, si actor metu S<sup>C</sup>i Turpilliani, vel pænæ talionis, libera auferatur potestas transigendi, nulla miseris reis redimendi sanguinis spes aut ratio superfit. Non obstat, quod accusator transigendo incidat in crimen concussionis, nam concussionis differt à transactione, illa nimirum est vetita, hæc permissa, l. 1. §. 3. ff. de calumniat. Nec est, quid dicant crimina sic mansura impunita, quia unius transactione reliqui ab accusatione non excluduntur. Loci tandem, quibus generaliter definitur, transigentem incidere in pænâ S<sup>C</sup>i Turpilliani, restringendi ad crimina non capitalia, vel quæ pænâ sanguinis non ingerunt. Excipio tamen hic cum Clarif. D. Voetio contra multos, *crimen adulterii*, per l. 18. Cod. h. r. cum primo frequentia delicti sæpe exigit ut pænâ exacerbetur, nimiumque grassantibus opus est exemplo & Majori severitate l. 16. §. ult. ff. de penis. tunc etiam ut transactione prohibita, cives Romani tanto magis studerent matrimoniorum castitati. Secundo, quod adulterii accusatio non est promiscue omnibus permissa l. 30. Cod. ad l. Jul. de adult. sicque facile ejus criminis impunitas sequeretur. Tertio tandem de eo transigens in lenocinium incidit. l. 14. ff. ad l. Jul. de adult. ita ut per eum venalia quasi fiant matrimonia.

CAPUT VIII.

**N**on levis dubitationis quæstio est, an justæ exheredationis causæ in Nov. 115. expressæ, ex rationis identitate, vel Majoritate, ad similes vel graviores causas extendi possint? licet multi negant ob alias causas, imo æque graves aut graviores, exheredationem fieri posse: tamen non puto eam fuisse Mentem Imperatoris, quam illi esse censent: & contraria opinio plane mihi arridet: quia, primo quidem, ubi paratio, ibi debet etiam esse eadem juris dispositio l. 12. ff. de legibus. Et natura legis est, extendi ad similes causas, dum impossibile est omnes casus legibus comprehendi. l. 10. 11. 12. 13. ff. de legibus. natura namque novas scelerum formas semper ede-



re deproperat. Sic utique Justinianus tentasset id quod impossibile est, omnes casus sua constitutione, comprehendere, vel voluisset constitutioni suæ vim legis detrahere, dum extensionem ex parilitate rationis prohibuisset quod utrumque absurdum. Non est quod dissentientes verbo *nominatim* tam mordicus insistant, dum hoc tantum est ad extensionem aliarum leviorum causarum, quæ antiquis legibus continebantur. Nec etiam obstat quod exhereditatio sit odiosa, ac proinde nulla interpretatione adjuvanda, quia magis odiosum est cogi patrem, ut impio vel indigno filio bona sua relinquat.

## C A P U T IX.

**N**uptiæ cum sunt viri & mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens, §. 1. *inst. de pat. pot.* consortium omnis vitæ, divini & humani Juris communicatio *l. 1. ff. de ritu Nupt.* quæritur, utrum polygamia simultanea licita sit nec ne? Nos, uti jure civili est improbata, per *l. 1. ff. de his qui not. infami. l. 2. Cod. de incest. nupt.* sic & jure divino illicitam esse probabimus, *Mallach. cap. 2: v. 14. & seq. Genes. 2: v. 22. & 24.* videmus namque primam conjugii institutionem, sic exponi à Christo & Apostolo, ut duo solummodo in unam carnem coalescere censeantur *Matth. 19: v. 5. & c. 1. ad Cor. 6: v. 16.* Majorum exempla, quos plures uxores habuisse scimus, rejicienda: dum Deus eorum polygamiam non approbavit, sed toleravit tantum non lasciendi, sed piæ sobolis gignendi causa.

## F I N I S.